



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

lesu Christi Annus. M.DC.LXXVIII. S. P. N. Benedicti. M.CXCVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

rigidam DEI manum certo certius expecturos.

*Vivorum  
verecundia  
parcitur.* Sed relictis, qui superstites etiamnum humanis subiecti sunt casibus, sine Operi recentissimis exemplis, mundi calamitatibus exemptorum, faciamus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXXVII.

S. P. N. Benedicti. M. C. XCVII.

*Ven. Andreas  
Zamblicus.* **R**EDIVIVI in filiis suis Beatissimi Patris BENEDICTI gloriam & plausus ad præmia laborum hoc anno die decima quarta, Januarij vocatus, haud minimum auget Reverendissimus Dominus Andreas Zamblicus Abbas Andreovienfis, qui in frigidissima cateroquin regione Minoris Poloniae Divinae charitatis ignibus succensissimus, multos calore suo fovit mirifice atque animavit. Is miris Virtutum splendoribus emicuit, ita ut intuentes omnes magnam verteret in admirationem. Fuit vir planè Angelicus, carnis propriae hostis juratus, assiduus in DEI laudibus, sancta intentione & contemplatione caelo semper affixus, disciplinae Regularis promotor strenuus, ob elucētē ex eo evidentissimis signis gratiam egregiā sanctitatis opinione celebrer, summaque in veneratione habitus. Haec ex relatione oculatorum, & spectatae fidei testium corā Episcopo facta, & Casimiro Vincentio.

*Testes vita  
oculati.*

*S. Rosalia  
Rediviva.*

*Monialis  
Benedicti-  
na.*

Redivivus hoc ipso etiā anno Benedictus in Rediviva, & ingenti profusus miraculorum multitudine & magnitudine comprobata sanctissima illa Regij generis Virgine, Diva Rosalia. Haec Panhormitanæ Urbis, imo Siciliae universae immortalis gloria, Monasterij quondā de la Speranza Monialis Benedictina admirandis & innumeris prodigijs usque hodie à Numine commendatissima, hoc ipso anno, non Italiam solum universam, sed totum Christianum Orbem immortalis merito demeruit, cum propugnaculum illud inexpugnabile Italiae Melitensem Insulam, pestilenti lue graviter, imò desperatè periclitantem, demississimis precibus, & gemitibus caelo devocata prodigiosissimè eripuit, totā Europā merito tantæ Virgini plausum dante, cum jam Draco ille Orientalis spe quasi indubitata, bolū tantopere sibi conducibilem devorasset, contremiscente ad exitium & periculum adeo vicinum

Italiae, & de tanto tantæ Protecricis beneficio plurimum sibi gratulante. Fuit Rosalia pridem innumeris ejusmodi prodigijs, & pestilentis maximè luis profligatione celebrata, & Viennæ etiam nostra ætate Austriacarum Urbium Metropoli plurimum comendata, cuius tamen fortè minus memores acceptæ gratiæ cives, neglecti cultus hodie satis seriò admoneri videntur, cujus utinam neglectus hodie, etsi sero poeniteat, tantamque denuo sibi Tutelarem concilient, ne Solis sui Augustissimi Leopoldi Casaris splendoribus & calore omnis abundantiae prægnantissimo diutius destituantur. Habet Rosalia sui nominis & Benedictini Ordinis amplissimā plurium Canobiorum in Sicilia Congregationem, quæ ad differentiam singularis sui Ordinis familiae, cruce candidâ scapulari nigro asluta insignitur, & ob tantæ Tutelaris reverentiam peculiari in honore habetur & digna est, ut habeatur. Vitâ ejusdē, Monachatum & prodigia, non uno conscripsit Volumine R. P. D. Tornamira noster. & asserit etiam Monachatum Benedictinum Urbanus VIII. in Bulla anni 1634. monialibus ejusdem Benedictini Ordinis sub nomine S. Rosaliae expedita, quarum præcipuū Monasterium, S. Rosaliae dictum, Panhormi visitur, & magnā fidelium devotione frequentatur.

*Vienna  
Contagio.*

*Vita & Mo-  
nachatus.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXXVIII.

S. P. N. Benedicti. M. C. XCVIII.

**E**Xtinguitur magnum revera Germaniae & Ordinis nostri Sydes Cardinalitij Ordinis decus Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Bernardus Gustavus Serenissimus Marchio Badensis Leopoldi Augustissimi Casaris, vetustissimo & novissimo sanguinis jure consanguineus lectissimus, Redivivi in seipso Patris sui BENEDICTI filius, Abbas Fuldenfis, & Campidonensis meritisissimus, ipso hoc anno Festo Proto-Martyris Stephani ad coronam & præmia, uti nulli dubitamus, vocatus, haud impar tolerantia Martyribus, cum solemni professione Romanae Fidei factâ, prioris sectæ asseclis, suisque & fratribus & cognatis factus odiosissimus, scommata, injurias, exprobrationes, haud aliter atque imbrem lapidum patientissimè non solum, sed plenissimo cordis

*Moritur  
Cardinalis  
Badensis.*

*Ejus pati-  
entia.*

cordis plausu exceptit, quin & Aposto-  
lico Zelo, pro hostibus juratis DEUM fe-  
dulé orans, plurimumque laborans, &  
sudans pro conversione eorumdem apud  
Divinum Numen quàm enixissimè  
institit, quin & pro Zelo promo-  
vendi rigoris Monastici, pro commen-  
danda suo exemplo paupertatis & fru-  
galitatis studio multa pertulit, & con-  
temni etiam à magnis, pro insigni sua  
animi demissione & modestia æquissi-  
mo animo sustinuit. Ita ut non sine  
singulari Numinis dispositione, & me-  
ritorum comprobatione in Festo San-  
cti Stephani, ex hoc mundo translatus  
videatur.

*Impatiens  
Laudum.*

Ut autem patientissimus injuria-  
rum fuit, & contumeliarum, ita lau-  
dis & honoris impatientissimus, uti  
non uno, sed pluribus argumentis no-  
bis constitit, dū edoctus, me hoc ipsum  
Opus Ipsi inscribere statuisse, gratiosis-  
simè suis me conveniens litteris laudes  
omnes sollicitè est deprecatus rogans  
quàm demississimè, ubicunq; mentio-  
nem Eiusdè facturum essem, prius com-  
municarem; sponde, curaturum me,  
ne quovis modo offenderetur. Idq; im-  
pedimento fuit, quo minus in vitam &  
laudes Eius accuratius inquirerem, quæ  
revera Volumen singulare, & quidem  
benè magnum mererentur.

*Dignus  
magno vo-  
luminis.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXXIX.  
S. P. N. Benedicti. M. CXCIX.

*S. Gertru-  
da Redivi-  
va.*

**R**ediviva cum maxima Virtutum  
operatione & beneficiorum ex-  
hibitione Magna illa & Mirabilis Ger-  
truda Saxonica, admirandis prorsus e-  
logijs, ab ipso Virginum Sponso, Vir-  
ginis celebrata filio, effervescente non  
minus per Hispanias, quàm Gallias, &  
patriam Germaniã ejusdem summa Ve-  
neratione, & cultu, cum jam superio-  
ribus annis Urbani VIII. Successorum-  
que Pontificum animos mirè accen-  
disset, hoc denique Anno Innocentiũ  
XI. Pontificem Maximum Sanctissi-  
mumque permovit, ut Martyrologio  
Romano adscribi vellet, & juberet die  
17. Novembris his ipsis formalibus ver-  
bis:

*In Germania Sancta GERTRUDIS  
Virginis Ordinis Sancti BENEDICTI,  
quæ dono revelationum clara extitit.*

*Ita typis Romanæ Camera. Sacra  
Rituum Congregatio ad relationem.*

Eminentissimi & Reverendissimi Do-  
mini Cardinalis Columnæ Instante P.  
Mag. Fr. Ildephonso de Mier Procura-  
tore Gen. Congregationis Hispaniarũ  
ejusdem Ordinis censuit supradictum  
Elogium, ut jacet, S. GERTRUDIS, cujus  
festum celebratur die 17. Novembris  
ex Decreto ejusdem sacre Congrega-  
tionis habitæ die 17. Junij 1673. appo-  
nendum, & describendum esse in Mar-  
tyrologio Romano, & ita decrevit die  
21. Januarij. 1679.

Celebratur hoc Festum incredibili  
animi fervore in Hispanijs, & Gallijs,  
Congregationibus Vallisoletana, Sancti  
Mauri, itemque SS. Vironi, & Hydulphi,  
plurimis sacris altaribus in peculi-  
arem Eiusdè honorem splendide ex-  
structis, cujus felicissimæ mortis admi-  
randam prorsus gratiam cum morte  
luctantibus quotidiana Commemora-  
tione recolentibus plurimum profutura  
in agonè illo ipsa promisit, & sin-  
gulare illud beneficium ab amantissi-  
mo Sponso promeruit, qui in tantæ  
Sponsæ suæ gratiam, nihil posse peten-  
tibus denegare satis apertè declaravit,  
dum à Venerabilis Sacramenti refugio  
ad cor Gertrudis peculiari devotione  
famulum amicissimum remisit; in Sa-  
cramento altaris, sive corde Gertru-  
dis me invenies. Ut merito de tanta  
tutelari & ordo universus & Germania  
in primis patria plurimum sibi possint,  
& debeant polliceri, & expectare.

Eodem anno 1679. Mirificum sane  
BENEDICTI REDIVIVI exemplar Patri  
suo verè Admirabili in cœlis adjungi-  
tur Vinculis carnis die undecima Apri-  
lis absolutus Reverendissimus Domi-  
nus Joannes Baptista à Brixia Mona-  
chus olim, & Decanus Monasterij san-  
ctorum Faustini & Jovitæ patronorum  
Brixensium Congregationis Casinen-  
sis postea Abbas Castro Casinensis, vir  
per omnia magnus, & admirabilis omni  
virtutum maximarum ornatu cultis-  
simus, qui postea missus in Lithuani-  
am, & Nesvisiensis Abbas creatus, re-  
gionibus frigidissimis suo fervore &  
splendore plurimum profuit, de quo  
oculatus testis Polonus litteris ad me  
datis, quem ego, scribit, cum alijs præsen-  
tibus, vidi puerum morsentem revocasse ad  
vitam. Ipsum Brixie etiamnum de-  
gentem religiosissimi quivis ut sanctũ  
refpexere, & venerati sunt, dum quan-  
tum.

*Festum  
merito ce-  
lebran-  
dum.*